



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

An dispar fides impediat matrimonium. tit. 128

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Mulier virum, sicut caput, honoret, &c. Hoc est honorabile cōnubium, &c. Fornicatores autem maledicit & punit Deus, Heb. 13.

AN DISPAR FIDES IMPEDIAT MATRIMONIUM.

TITVLVS CXXVIII.

**F**ERIA nōtantur. Primò, vbi sit dispar fides. Secundò, quare impediatur matrimonium: Tertiò, fructus, id est, quomodo parū apud Deum est gratum & meritorium tale cōnubium.

Primò, dispar fides duplici via accidere potest, aut circa Christum, vt Iudæi negant Christum, Christianus confitetur Christum, Deum & hominem & saluatorem Messiam totius mundi. Et talium filij non possunt copulari matrimonio. Nam hoc Deus prohibuit Deut. 7. Et Esdras separauit 1. Esdræ 10. cognoscens quòd idèd Iudæi captiui essent ducti in Babyloniam & sic in veteri testamēto prohibebatur matrimonium inter tales, id est, Iudæos & Gentes. Secundò, vel est differens fides, circa obedientiam & unitatē Ecclesiæ, aut sacramēta & cæremonias, &c. Alioqui in fide Christi sint consentientes. An hæc disparitas impediatur matrimonium? Respondeo, Paulus permittit fidelem Christi, si vult cohabitare infideliter quod possit, 1. Corin. 7. & concludit, quòd sit verum matrimonium. Nam vnus illorum coniugū, quòd fidem habet, sanctificat alterum. Fides vnus facit ne cohabitatio sit peccatum. Si autē infidelis vult discedere, discedat. Hinc alterum sequi non tenetur, sed liber est. Sic Apòstoli, nascente Euangelio Christiani, permiserunt cohabitationē, & libertatē. Secūdo, statutum est Ecclesiæ, 28. q. 1. Non oportet: Non oportet cū hominibus hereticis misceri cōnubia aut filios & filias dare. Sed bene possunt accipere catholici hereticos, si

si profitentur se futuros catholicos. A catholica autem fide cedere, & ducere hereticam pertinacem, non licet, &c. At dicunt, non sunt heretici, sed schismatici. Respondeo, capita Ecclesiae, Papa, Imperator, Rex Rom. denunciaverunt hos suis edictis & bullis, rā Ecclesia pro hereticis habēdos, qui nec ipsi audiunt Ecclesiam, nec credunt vnam esse Ecclesiam catholicam, &c.

Secunda causa, cur Deus prohibuit cōiungēdis paribus fide, est Deuter. 7. quia inquit. Mulier gentilis inducet filium tuum, & a fide trahet ad fidem idolorum, &c. & ira scetur furor Domini, & disperdetur. Sed quod Ecclesia statuit, ne catholicus sectarium accipiat, causa est perpetuum odium, in quod intrinsecatur catholicus. Nam statim ut filius aut filia nuptur sectario, extinguitur amor filiorum erga parentes, ut vix amplius possit illis loqui: & odium perpetuum atque detractio, blasphematio est in catholicos, in tali odio cōedūt, bibūt, dormiūt, moriūtur, si filij pij essent, non audent piē vivere præ aliis, nisi dicunt, Credo in Christum. At hæc fides est extramuram & charitatem, & nihil prodest, 1. Corin. 13. quid sequetur, nisi quod dicit Apostolus Gal 5. Sectariorum, quæ mater est omnium malorum, Ecclesia prohibuit tale connubium.

Tertiò, fructus disparium conjugatorū in fide, est, quod hoc fit ad multiplicanda peccata in hoc genere vitæ. Si alter alterum sequitur extra fidē & unitatem catholicam, æterna est damnatio: sin autem, perpetua discordia. Non illa cohabitatio sic mala est, sed odium erga catholicam Ecclesiam, & detractio peccatum est: fieri nō potest, ut hereticus ex corde diligit catholicos proximos, & facilius est, catholicum trahere ad sectam, cooperante Sathana, quàm sectarium ad catholicam unitatem. Promissum

mus ad malum, & difficiles ad bonum. Vt igitur placeat Deo matrimoniū, exigitur mutuus fidei consensus, Ecclef. 25, & vnitas atque dilectio. Orandus igitur Deus est pro bono coniuge, Prouerb. 19.

*ALTER CONIUGUM CATHOLICUS, AN OBLIGETUR SEQUI SECTARIUM.*

## TITVLVS CXXIX.

**T**RIA sunt notanda. Primò, quòd si alter coniugū declinauerit ad sectam reliquus non obligatur illum sequi. Secundò, causa cur non licet. Tertio, periculum animæ.

Primo inquit Apostolus 1. Corinth. 7. In pace vocauit Deus adinucem, scilicet legitimos: si ergo infidelis discedit, discedat. Non enim seruituti subiectus est frater vel soror in eiusmodi, id est, non obligatur sequi mulier virum sectarium, si discedit ab vnitate catholica. Non ergo potestatem habet vir cogendi vxorem in rebus fidei. Nam anima vxoris non est tradita viro, solus enim Deus & Christus est Dominus animarum, 2. Cori. 11. Desponsauit vos vni viro &c. Potestas ergo viri solùm se extendit ad corpus & corporalia, id est, quæ corpus requirit &c. id est, in lecto, in mensa, in re familiari, in educatione liberorum, in labore &c. De his rebus oportet reddere rationem legitimam ante sedem Christi.

Secunda causa, cur non obligetur alter coniugum sequi sectarium, est: Nam quilibet coniugum ante copulationem, fecit votum Deo in baptismo de fide, scilicet credere in Christum, intra Ecclesiam catholicam: Baptizatus est in vnum corpus, id est, catholicum, 1. Corinth. 12. Accepit eucharistiam in vnitate catholica, 1. Corinth. 10. Vnus panis multi sumus, &c. Credidit vnam Ecclesiam catholicam &c. Hæc præcedunt